

NUMMI CASTRENSES

EXPEDITIONEM CAROLI V.

Africanam concernentes: susceptam Anno
Christi 1535.



INTER eos, qui (Senecæ verbis ut utar) *ultrò cessantibus malis se obtulerunt: & virtuti itura in obscurum, occasionem, per quam enitesceret, quaesiverunt*: Carolum V. Imperat. numera. Certior is factus Hariadenum Barbarossam Argerij in Numidia Regem, Solymannicæ classis Præfectum, ejecto rege Muleasse, occupasse regnum ac urbem Tunetum, expeditionem sibi suscipiendam, restituendumque Muleassem decernit: causâ hac insuper motus, quod neque Siciliae, neque Italiae, neque Hispaniæ littora ab Afrorum Turcarumque invasionibus tuta fore judicaret. Perscribit Andree Aurie, quam maximum paret navium numerum: condit testamentum: uxoreque gravidâ relicta, Hispaniæque curâ commissa, postridie Calend. Martij Madritio Barcionam proficiscitur. Calendis Maij Aurea cum viginti duabus triremibus optimè armatis, ac unâ insigni quadriremi, quæ Cæsarem erat vectura, Barcionam venit. Convenerant & Belgarum onerariæ militem & commeatum vehentes, tum Lusitaniæ regis Caravellæ, cum ingenti Galeone, quæ veteranum adducebant peditem: præeratque Lusitaniæ classi Johannes Regis Emanuelis filius. Cæsar trigesimo Maij, audio

sacro